

Gd. 142.







5a



40

Q. D. B. V.

IACOBUM TWINGERUM  
REGIOVILLANUM

VULGO

IACOBUM DE KOENIGSHOVEN

PRAESIDE

IEREMIA IACOBO OBERLINO

LOG. ET METAPHYS. PROF. P. O. CAP. THOM. CAN.

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI SUBIICIT

AUCTOR

SIMON FRIDERICUS HOLLAENDER

ARGENTORATENSIS

DIE XVII. SEPTEMBRIS A. R. S. MDCCLXXXIX.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI,

Typis IOH. HENRICI HEITZ, Univerſit. Typogr.

*Ande*

5d. 192.



MUSEUM  
REGIUM  
JACOBI

PATRONIS

INSPECTORI ATQUE VISITATORIBUS

COLLEGII WILHELMITANI

*un 94*  
*Gl. 112*

SACRUM



REGENTIA

1817





DE  
IACOBO TWINGERO  
REGIOVILLANO  
VULGO  
IACOB VON KOENIGSHOVEN.

---

§. I.

*Iacobi Twingeri vita & fata.*

Galliae Germaniaeque Reges, quum forum acturi regna sua obambulant, variis in villis morari solebant, quae regiae hinc dicebantur, ubi palatia ipsis recipiendis apta reperiebant. Utriusque regni villas viri reverendi recensent, per Galliam MABILLONIUS<sup>1)</sup>, per Germaniam BESSELIUS<sup>2)</sup>. In vicinia nostrae Argentorati talis quoque regia villa, vulgo *Koenigshof*, existit, ante albam turrin sita<sup>3)</sup>,

---

1) *de re diplomatica* L. IV.

2) in *Chronici Gottwicensis prodromo* T. II.

3) v. SILBERMANN'S *Local-Geschichte der Stadt Straßburg* p. 140.  
In ista regia villa a. 1282. GOESSELIN KURNAGEL, eques, facellum

A

faeculorum decursu accolis frequentata, qui sibi, ut fieri solet, inde originis & patriae quasi nomen adfisciebant, *Regioquevillani* appellabantur. Mirum proinde non est, si hoc commune nomen pluribus familiis, caetera diversis, adhaeserit. Occurrunt scilicet<sup>4)</sup> SCHULTHEISSEN, KEMPF, TWINGER, DE KOFELIN<sup>5)</sup>.

Neque vero semper nomen id, quo familiae distinguebantur, gentili nomini additur. Sic apud HERZOGIUM<sup>6)</sup> simpliciter nominatur DUILDIS DE KOENIGSHOVEN, nupta RUPERTO BOCK a. 1200. BURCKARDUS DE KOENIGSHOVEN fenator a. 1230. 1234. IOHANNES DE KOENIGSHOVEN fenatui quoque adscriptus a. 1231. & seq. 7).

condidit, monialibus sive inclusis commissum, sub cura fratrum S. Thomae. Monasterium eo loco exstruere paravit NICOLAUS SPENDER a 1360. praepositus Thomanus, sed morte fuit praeventus. Sic enim rem refert noster in *Chron. MS. B. f. 203. Sant Gallen Capelle zu Künigeshoven mit der pfründen vnd Clofen, stiftete Her Goeffelin Kurnagel ein ritter bi sant Thoman zu Strosburg noch Gotz geburte 1282 jor. Do noch Nicolaus Spender der probeß zu sant Thoman biwete ein nuwe hus zu sant Gallen den Clofenerin, vnd wolte ein frauwen clofier do han gemacht, noch Gotz geburte 1360. Also für kam in der dot., das es nüt geschach. Dieselbe Clofe gehoert an die stift zu sant Thoman, vnd sol men nieman drin enpfohen denne mit der herren wille zu sant Thoman. Mox saeviente bello cives inter & Episcopum ea villa est destructa a. 1392, quod ipse testatur KOENIGSHOVIVS. Conf. editio SCHILT. p. 291. & hujus annotationes p. 609. Sacellum laudatum in coemeterium mutatum est a 1522. conf. SCHÖPFELINI *Alsatz. illustr.* T. II. p. 301.*

- 4) v. SCHILTERS *Vorrede zu Koenigsh. Chr.* §. XI.  
 5) in monasterio Alsatico Parisiensi Ord. Cisterc. epitaphium hoc olim legebatur teste HUGONE in *monum. sacrae antiq.* T. II. p. 280. A. 1305. ID. NOV. OBIIT IOANNES VIR NOBILIS DE KOFELIN DE KUNIGSHOVEN.  
 6) in *Elfsatz. Chron.* 6. B. 181. Bl.  
 7) Conf. SCHILTER l. c. §. X. Idem §. XI. meminit ex LUCKIO EUPHEMIAE a. 1246. item CATHARINAE DE KOENIGSHOVEN a. 1422. eodem genere ortarum. Post a. 1422, nulla, quantum novimus, gentis eius fit mentio.



tem HERZOGIUS illis eadem insignia gentilitia <sup>8)</sup> tribuit, quibus usum testatur nostrum IACOBUM TWINGER, cum hoc ex eadem nobili stirpe originem traxisse putandi sunt. BURCHARDUS contra TWINGER, qui primus *Scabinorum magister* sive *Antwergmeister* a. 1332. creatus munus id ad annum usque 1346 gessit <sup>9)</sup>, ad aliam familiam spectasse videtur, siquidem insignia eius vera <sup>10)</sup> offerat lapis sepulcralis, quem PASTORIUS <sup>11)</sup> exhibet. Ast IOHANNES TWINGER magister civium a. 1357. 1363. & 1369, nobili quoque profapia ortus, cognatione forsan attigit nostrum, qui eum dominum suum generosum vocat. Fuit is matrimonio iunctus NESAE, sive AGNETI, filiae IOHANNIS GÜRTELER <sup>12)</sup>.

8) SCHILTER I. c. §. XII. Offerunt scilicet scutum superius nigro, inferius albo colore tinctum, in nigro solo cuspides tres aureae sursum versae visuntur. Imposita scuto galea clathrata aurea obliquo situ nigris albisque laciniis ornata, cui imminet herma barbatus, nigro amictu decorus & collari argenteo, pileo orientali tectus, scuti ipsius colores cuspidesque referente.

9) KOENIGSH. *Chron.* p. 305. Obiit a. 1348. v. idem p. 308. & epitaphium eius apud SCHILTERUM *ad Koenigsh.* pag. 573. & 1121. quod ita habet, ANNO DNI. M. CCC. XLVIII. XVII. K. . . . . ARDVS DICTVS TWIN. . . . M . . . . STER SCABINORVM. CIVITAT. ARGENT.

10) Scuti area aurea fasciam transversam habet, tribus avibus comitatum.

11) *in der kurzen Abhandlung von den Ammeistern der Stadt Straßburg 1761. p. 6.*

12) *in Chron. Latino MS. cap. V. sive in indice sub litt. I. noster sic: IOHANNES dictus TWINGER civis Argentiniensis & dominus meus generosus obiit 1376. vigilia S. Laurentii. Deinde anno domini 1395. 5 Kal. Maji, obiit domina NESA TWINGERIN UXOR praefati IOHANNIS TWINGER. Quocum conferri meretur epitaphium repertum in templo D. Nicolai & a SEB. MUEGIO, nobili Alfata, Sebastiani filio, Caroli nepote, viro antiquitatis patriae studiosissimo, in selectis suis monumentis Argentoratensibus MS. ita descriptum: ANNO DOMINI 1381. IOR OBIIT NESA GURTELERIN IOHANNIS TWINGERS WITWE. facile patet, in altero horum documentorum vitium in anno haerere.*

Utnt ista sese habeant, non enim plane licet rem in apicum deducere, saltem parentes, quibus vitam debuit TWINGERUS noster, *anniversarius liber D. Aureliae* nobis fervavit<sup>13)</sup>. Fuere scilicet FRITSCH DE KUNIGESHOVEN & METZA. Natus est autem IACOBUS TWINGERUS REGIOVILLANUS<sup>14)</sup> Argentorati<sup>15)</sup> a. 1346. Sacro ministerio dicatus a. 1382. regundae Drusenhemienſi ecclesiae praefectus quadriennio post, quo tempore fata saeculorum vernacula lingua se scripsisse profitetur<sup>16)</sup>; chori maioris tum quoque

- 13) Locus ita sonat: *III. Non. Sept. Fritsch de Kungeshoven & metza eius uxor & dominus Iacobus Twinger canonicus sancti thome filius eorum legaverunt plebano xvij den &c.* Notavit hoc iam LUCIUS, diligentissimus olim tabularii publici nostratis, dein & Rappoltsteinenſis praefectus, & gentium Alsaticarum indagator solertissimus, cujus opus genealogicum, familiarum illustrium stemmata & insignia complexum vol. 36. inter praecipua tabularii nostri ~~numera~~ fuit. Ex nupero hujus naufragio paucae ejus tabulae sunt servatae. Restant fere decem volumina; reliqua sacrilegae manus scelesto ausu sunt absumta. Ex isto opere & aliis documentis multa IACOBUS WENCKERUS vir Consularis, ut erat rerum patriae nostrae apprime gnarus, in *Comm. MS. de Landgraviis Alsaciae* congestit ad ROENIGSHOVIVM pertinentia, quae in usum nostrum convertimus.
- 14) Sic integrum nomen suum effert ipse in quibusdam MS. codicibus, *Chron. Germanici*, inter alios in eo, quem ipse donavit fabricae Ecclesiae Argent. anno 1409. *Ich Iacob Twinger von Koenigshoven.* Idem de MS. Zezneriano testatur SCHILTER in *Vorrede* §. XI. Caeterum IOHANNEM falso vocat HALLERVORD in *Spicilegio de hist. lat.* p. 743. GOLDASTUS T. I. *Constit. Imper.* & VOSSIUS de *H. Lat.* L. 3. c. 4. KONGELSHOVIVM dicunt. Nomen REGIOVILLANI sic Latine extulit GUILLIMANNUS de *Episc. Arg.* c. 8. quem sequitur OBRECHT in *prodromo Alsatico* c. 9. p. 185.
- 15) Argentorati natum se ipse dicit initio cap. 4. & in *Chronici Latini* registro nativitatis & consecrationis suae annum indicat.
- 16) Codices plurimi MS. *Chron. Germanici* haec habent „*Iacobus Reſtor ecclesiae in Trusenheim machte dis Buch im Jahr 1386.* teste WENCKERO l. c. Sic & in SEB. FRANCKII *Chron.* f. 286. legitur: *Sonderliche That und Faell so sich zu Straßburg und anderswo zugetragen haben aus der geschriebenen Chronick Hrn. Iacobs Kirchherren zu Drusenheim.*

praebendarius<sup>17)</sup> & sacello Beatae Virginis addictus dicitur<sup>18)</sup>; alibi quoque vicarius ecclesiae Argentinenfis<sup>19)</sup>, item publicus Apostolica & Imperiali auctoritate notarius<sup>20)</sup>, & Episcopi Sigillifer<sup>21)</sup> appellatur. Divi Thomae Canonici adscriptus est<sup>22)</sup> a. 1395, unde in falcis ejus ecclesiae libris, quos & ipse renovavit, aliquoties actis praefens interfuisse memoratur<sup>23)</sup>. Denique sacellum S. Galli, in

17) Ita apud WIMPELINGIUM vocatur in dedicatione *catalogi Episcopi Argentinenfis*.

18) Sic WERCKERUS I. c.

19) Sic in *Chronico Wormatiensi monachi Kirsgartenfis* apud LUDEWIGIUM T. II. reliq. MS. diplom. p. 9.

20) In *Libro Salico B. ecclesiae D. Thomae* fol. 119. „*Et ego IACOBUS TWINGER DE KOENIGSHOVEN Argentine commorans publicus Apostolica & Imperiali auctoritate notarius quia . . .*”

21) In *documentis Bischofflicher Infigeler* dicitur, LUCKIUS testatur.

22) Sic iterum ipse in *Registro chronici Latini* citato, & in eiusdem operis folio ultimo haec verba leguntur: *Iste liber est Iacobi Twinger Canonici S. Thome Argent.* „*quae verba SCHILTERUS ab aliena manu adiecta queritur; sed frustra; est profecto scriptura plane eadem, quae operis ipsius; qua in re consentientem habemus SCHOEFFLINUM, qui istis SCHILTERI verbis: „so aber von neuer hand” haec subiecit propria manu „Imo ipsa Koenigshovii manu haec in fine adiecta videntur, scriptura cum ipsius operis scriptione convenit.*” Scilicet dubitabat SCHILTERUS, IACOBUSNE TWINGERUS cum nostro REGIOVILLANO idem fuerit, & vitam ad annum usque 1420 protraxerit, an minus. Sed loca allegata & tabula nostra aeri incisa dubium omne eximent attento lectori.

23) In *Libro Sal. E. instrumentum* fol. 79. ita incipit: „*Coram nobis iudice curie Argent. constitutus Rulinus . . . in presencia Iacobi Twingeri Canonici*” item in documento dato a 1397. dicitur „*prebendam canonicalem Dns Iacobus dictus Twinger in ecclesia S. Thome obtinere & dudum habuisse.* Reperitur in tabulario D. Thomae sub n. 837. *Libros Salicos huius ecclesiae se renovasse propria manu testatur TWINGERUS in fronte Libri Salici A. his verbis: Incipit Registrum & tabula omnium literarum & instrumentorum ecclesie nostre Sancti Thome Argent. in libris nostris conscriptorum . . . & scriptum ac renovatum est hoc registrum seu tabula per Iacobum Twinger Canonicum anno Dni MCCC. nonagesimo septimo.*

Kunigeshoven situm, gubernasse nostrum IACOBUM ex documento anni 1411 luculenter patet<sup>24)</sup>. Fato fundum esse anno 1420, fidem facit epitaphium, quod, in aede D. Thomae servatum, a SCHILTERO<sup>25)</sup> editum & litteris monachalibus pro saeculi more expressum, ita sonat: ANNO DNI. MCCCCXX. IPSA DIE BEATI IOHANNIS EWANGELISTE OBIT DNS. IACOBUS DICTUS TWINGER FIDELIS CANONICUS HUIUS ECCLESIE ORATE PRO EO L. A. In Canonicatu Thomano successorem habuit STEPHANUM ZORN.

Ingenii foetus reliquit noster Chronica duo maxime Alsatia & Argenteratensia, alterum Latino, alterum vernaculo idiomate conscripta, & vocabularium Latino-Germanicum. Vix fidem impetrabimus, si statim a limine profiteamur, utriusque chronici laudati codicem, auctoris nostri manu exaratum, hodieque superesse & usibus nostris inservire.

## S. II.

*Iacobi Twingeri Chronicon Latinum.*

Huius codex unicus, ipsius, ut videtur, REGIOVILLANI manu scriptus, antehac in domo fabricae B. Virginis servatus, dein a. 1635 publici civitatis tabularii praefectorum custodiae traditus<sup>1)</sup>, a nupera vastatione immunis fuit; in charta scriptus foliis, formam suam servantibus integram, 256. constat. Orbis autem per saeculorum omnem decursum fata describere in animo habuit TWINGERUS,

24) Apud WENCKERUM in *app. 3<sup>o</sup> instr. arch.* p. 30.

25) v. SCHILTER in *Vacrede* §. XII.

1) Antiquum involucrem suum cum recentiori mutavit a. 1741. huius interiori lateri adglutinata est scheda, quae haec verba refert: *Dieses Buch gehoert auf Unserer Lieben Frawen werck, und ist zu der Stadt Straßburg Archiv gelüffert worden menße Oëtobri 1635. I. U. Frid Stadtschreiber m. pr.*

quod ejus confilium non rectius quam ex ipsis illius verbis poterit condisci. En ergo initium operis.

*Incipiunt cronica nova de diversis auctoribus collecta.*

*Licet de hystoriis pontificum & regum romanorum seu aliarum rerum gestarum multos revolveremus libros, paucos tamen vel quasi nullos de rebus moderno tempore gestis vidi compilatos, quamvis humanum genus transacta postponens novis maxime dilectetur. Insuper quum ea, quae geruntur in tempore, propter vitae brevitatem, humanitatis quoque fragilitatem similiter cum tempore memoriae nomen perdent, nisi redivoivo litterarum testimonio annotentur, hijs de causis Ego IACOBUS DE KUNIGESHOVEN, clericus argentinensis, licet minimus, quosdam flores seu aliqua alia in hystorijs utilia ac delectabilia de diversis libris cronicorum & specialiter de speculis historialibus & cronicis fratrum vicencij<sup>2)</sup> & martini<sup>3)</sup>, que moderni reputant veriora, in presens opusculum excerpando collegi, & precipue aliqua, que in civitate vel dyocesi argentinensi gesta sunt, vel in fama celebriori feruntur, ad certum ordinem temporum redegei. Ille quippe res geste, ut dicit hugo foriacensis, que nulla regum vel temporum certitudine commendantur, non inter hystorias sed inter viles fabulas deputantur. Valet igitur in hoc opere romanorum, pontificum, regum & imperatorum brevis annotacio, ut una queque res per ipsos vel sub ipsis gesta, faciliter sciatur, quod anno vel tempore annotata acciderit. Nam & historie non solum gentilium sed & ecclesiastice & ewangelice secundum imperatorum & regum tempora describuntur. Lucas nempe cum incarnationis dominice hystoriam texeret, in ipso ewangelii sui principio de*

- 
- 2) VINCENTIUS BELLOVACENSIS, fratrum Praedicatorum adscriptus ordini, erudiendis Ludovici IX filijs admotus, inter alia reliquit & speculum hystoriate, quod cum reliquis eius speculis a Ioh. Mentelino nostrate excusum est primum a. 1473.
- 3) MARTINUS STREPUS TROPAVIENSIS, ordinis Praedicatorum provinciae Polonicae, Polonus vulgo sed falso audit. Medio saeculo XIII Chronicon scripsit summorum Pontificum atque Imperatorum Romanorum, perductum ad a. 1277. ad Pontificem Nicolaum III.

*herode rege & post pauca de augusto cesare mencionem fecit, ut illa que minus nota essent hominibus per alia que in maiori fama gererentur patefierent, etiam in hijs si forsitan aliqua sunt que non multum expediat scire, quanquam tamen hec ipsa turpe est ignorare. Insuper sciendum quod presens compendium primo per annos a creatione mundi, dein per annos incarnationis domini nostri ihesu christi per pontifices & imperatores descendendo, usque ad tempus nostrum, videlicet ad tempora gregorii pape XII & ruperti de peygern 4) regis romanorum, deduxi inclusive. Et ne aliquis in revolvendo folia libri aliqua querendi attediatur, ipsum librum in octo capitula distinximus, prelibantes paucis verbis que in quolibet capitulo ostendere intendimus, ut eo brevius & ordinacius quisque ad materiam in hoc opere contentam possit procedere.*

Agit autem Cap. I. de aetatibus mundi, ubi series rerum in orbe gestarum chronologica exhibetur, quae terminatur in Iulio Caesare. f. 1—5.

Cap. II. habet catalogum Romanorum Pontificum, qui finitur in Eugenio IV. quem recentior manus addidit. fol. 5—8. Porro offert catalogum Regum Romanorum & Imperatorum, qui abit usque ad Sigismundum. fol. 8—11. Iam succedit series Regum antiqui temporis ordine admodum turbato, Assyriorum, Medorum, Persarum, Aegypti & Antiochiae post mortem Alexandri, Hebraeorum, Troianorum, Graecorum in Athenis, Sicyoniae, Argivorum, Babyloniorum, Aegyptiorum, Italiae & Romanorum, Francorum, ubi videtur folium 14tum excidisse, vel data opera esse exemptum, eique substituta folia tria membranacea, quibus series Regum Francorum continetur 5). Ultimi sunt Philippus de Valesio, Iohannes eius filius, Iohan-

4) Postea tamen alia quaedam addidit. Verba haec: *Ruperti de Peygern* erasis sunt inscripta, quod ostendit, prius alium terminum paullo priorem fuisse adiectum.

5) Folia ista tria membranacea ex antiquiori chronico decerpta huc inferuisse nostrum putat SCHILTERUS, qui ex ea serie Regum Francorum plurima post verba haec: *Gothi enim cum ipsam urbem iam*

Iohannes eiusdem Iohannis filius, Karolus proximi Iohannis filius. Tum sequuntur Reges Lombardorum, Macedonum, Scytharum, Britanniae, qui ducuntur a Bruto, Aeneae pronepote. Tandem de ortu regni Hunnorum & Regibus eorum agitur. Haec ita fol. 11 — 16.

Capitulum III datur appendix Geographico-Etymologica ita inscripta: de vocabulis gentium de terra & eius partibus item de diversitate aquarum. Speciminis loco haec sunt: Galli dicti feruntur a γαλα, lac, ob candorem corporis. Arabia dicitur, quia sacra. Galilaea vocatur, quod gignat candidiores homines quam Palaestina. Albania a colore populi, quod albo crine nascuntur. Dalmatia a Delmi, maxima eius civitate. Aquitania ab obliquis aquis Ligeris fluminis, quia ex plurima parte terminus eius est. Mauretania a colore populi, mauron enim graece nigrum dicitur. Insulae dictae, quod in falso sint &c. 6) fol. 17 — 26.

Cap. IV. Episcoporum Argentinesium catalogus continetur. Procedit ab Amando ad Wilhelmum de Dieft & folia septem complet. Ista series ad Erchenbaldum usque hujus docti episcopi versibus exposita legitur, interspersa oratione profusa 7). Isti Baldus, Widerolfus & qui sequuntur, subiecti

---

*essent depopulati, in Gallia confederunt ultra Ligurim fluvium. Burgundiones tunc regem habere coeperunt . . . transtulit in additamenta sua ad KOENIGSHOVIVM p. 482. ab his verbis: Franci etiam Romanos, qui tum circa fluvium Rhenum habitabant, fugaverunt. Caeterum annales breves Francorum iterum occurrunt his Chronicis Latinis alieno plane loco inferti fol. 176.*

- 6) Petita sunt ista ex ISIDORI HISPALENSIS *originibus* L. IX. c. 2. & L. XIII. c. 3. seq. item c. 12. seq.
- 7) Hanc ERCHENBALDI seriem episcoporum Argentoratensium inseruit SCHILTERUS *additamentis suis* ad KOENIGSH. p. 490. Sparfit eandem per *Historiam suam ecclesiae Argentinesis* Rev. GRANDIER, ubi tamen in eo videtur falli, quod plurimas laudes, versibus & profa conceptas ab ERCHENBALDO, pro totidem epitaphiis habet, antecessoribus suis ab hoc episcopo positis. Ex collatione ali-

B

leguntur. Fusc enarrantur res episcoporum Iohannis I. Berchtoldi de Buchecke & Iohannis de Lichtenberg; brevius expediuntur res gestae Iohannis de Line, Lamperti de Burne & Friderici de Blanckenheim. Agmen claudit Wilhelmus de Dieft, de quo haec: „*provisus a Papa de episcopatu Arg. legit literas suas.*“, Numerus episcoporum Argent. usque ad Fridericum de Blanck. ipso etiam numerato est 72. fol. 29 - 36. Adduntur tandem varia ad Erchenbaldum episcopum spectantia. Huius scilicet suspirium & ad Deum oratio. Eiusdem de laude Dei & vera vita & morte absorpta <sup>8)</sup>. Tum series episcoporum ab ipso consecratorum vel ordinatorum <sup>9)</sup>, itemque recensio facellorum & ecclesiarum ab eo consecratarum <sup>10)</sup>. fol. 37. & 38.

Sequitur Capitulo V. registrum diversorum gestorum addito & numero folii, quo singula sunt exposita, & anno, quo quaeque sunt gesta, fol. 39 — 60. Hic inter alia fol. 40. leguntur coniecturae de nominis Argentorati & Argentinae ori-

quot codicum emendatos ERCKENBALDI versiculos Alsatiae litteratae saeculi IX. & X. auctore CHR. GOD. FRANTZIO a. 1786. sub praefidio eodem, quo haec diatribe defenditur, defensae insertos videbis p. 64. In Richwino, ut hoc unum hic addamus, SCHILTERUS & GRANDIDIER male exhibent encomii initium sic: *Nobilitate praecellentem* — in codice MS. legitur: *nobilitate praeculcem*, sensu eodem.

8) Meminit ejus opusculi WIMPHELINGIUS in *catalogo Episcoporum Argent.* p. 32. Perperam id perditum credebatur, v. *Diss. cit. de Alsatia litterata* p. 68. ubi male etiam l. 27. pro *absorpta* legitur *absumpta*.

9) Hic ex codice MS. emendanda sunt ea, quae WIMPHELINGIUS l. c. protulit, scil. p. 33. circa finem legendum *Ep. Eistettensium Riginoldum*; l. ult. pro *Voltmaro* lege *Volmaro*; p. 34. l. 6. pro *Hildenardum* lege *Hildewardum*; l. 14. lege *Dietmarum primitivum crescendae Pragensis ecclesiae episcopum*.

10) Ex his WIMPHELINGIUS l. c. Schutteranum coenobium & Maurimonasterium nominat, reliquorum locorum nomina, quia barbara sunt & partim oblitterata, silentio prefficit.



gine <sup>11)</sup>). Iam inferitur fol. 61. relatio de Romulo & Remo, de Romanis, de Sibyllis, de Virgilio, cui varia miracula tribuuntur <sup>12)</sup>). fol. 63.

Cap. VI. agit de fundatione & conversione Germaniae & Argentinae civitatis. de imperio Treverorum, de S. Materno, de Attila Rege Hunnorum, de S. Arbogasto, de genealogia S. Odiliae & Attalae virginis <sup>13)</sup>), de fundatione ecclesiae S. Stephani, de ecclesia Rinaugiensi in Honowe, copia donationis trium curtium ad ecclesiam Argentinensem a Rege Dagoberto <sup>14)</sup>). fol. 64 — 68.

11) Excerptis ea SCHILTERUS & retulit p. 599.

12) Repetuntur ista ex VINCENTII speculo, qui fabularum promum condam sequitur ELINANDUM, Cisterciensem monachum saeculi XIII. Sic vero habent illa: *Multa etiam miracula fecit VIRGILIUS. In porta neapolis campanie fecit muscam eneam, que omnes muscas ab urbe expellebat. In eadem urbe macellum construxit, ut nulla ibi caro putresceret. Campanile quoque construxit quoddam, ut turris ipsa lapidea moveretur, quo campane compulsabantur sed & ortum quendam fecit, ut in eo non plueret, de balneis quoque ejus incredibilia narrantur. Creditur & a quibusdam ab eo factum illud miraculum, quod dicebatur salvatio rome, quod inter septem miracula mundi primum computatur. Erat autem ibi conservatio omnium statuarum. Que statue scripta nomina in pectore gentis, cujus ymaginem tenebant, gestabant, & tintinabulum unius cujusque statue. Erantque sacerdotes die ac nocte super vigilantes, qui eas custodiebant. Et, que gens in rebellionem consurgere contra imperium conabatur, statua illius commovebatur in collo ejus, ut quidam addunt, statua illa mox digitum indicem protendebat versum illam gentem & nomen ipsius gentis quod in ea erat scriptum. Quod nomen sacerdos continuo principibus deportabat, & mox exercitus ad eam reprimendam mittebatur.*

13) Legitur apud SCHILTERUM inde desumpta pag. 507.

14) Exscripsit & hoc documentum SCHILTERUS l. c. pag. 592. Inter adulterina reposuit SCHOEPFLINUS *Als. Dipl. n. XXII.* Neque argumenta erudite & fuisse recitavit GRANDIDIER opere cit. T. I. Disert. 4. p. 83.

Cap. VII. refert historiam Mahometis, subiuncta disputatione Saraceni & Christiani de lege Saracenorum & fide Christiana. Accedunt lingua vernacula *eine grosse Reyse in die Heydenerschaft* a. 1396. und *wurden die Christen erslagen*, i. e. relatio de expeditione bellica Regis Hungariae & Principum sociorum in Amuratem Turcarum Sultanum <sup>15)</sup>; expeditio Equitum Teutonicorum in Regem Cracoviæ a. 1410. Porro, contentio Episcopi Leodiensis cum civitate Leodiensi. fol. 78. item bellum Galliam inter & Angliam. fol. 79.

Cap. VIII. exponit gesta Pontificum & Imperatorum Romanorum, multis aliis intermixtis ad res patrias spectantibus. Scilicet, praemissis inde a folio 80. quae ad fata veteris Romae pertinent & ex Chronicis fratris MARTINI repetuntur, allatis nonnullis ex libro de infantia Christi. folio 89; succedit historia Pontificum & Imperatorum Romae alternatim, ad mortem usque Iohannis XXIII. a. 1419. & ad Regem Sigismundum. fol. 284.

Omnibus istis inferuntur, quae partim nostram urbem respiciunt, partim a nostris rebus sunt aliena. Ad haec referenda narratio de duobus fociis Amelio & Amico e tempore Pippini. fol. 160. Bellum Austriae Ducum cum Helvetiis, quod vernacula narratur. fol. 168. Epistola reprehendens Papam & Cardinales. fol. 214. Contra nos nostraque attingunt longe plurima. Fundatio monasterii seu summi templi Argentinensis. fol. 144. ubi & de magna campana, organo & horologio, Tum vernacula incendium summi templi sextum, de eius fabrica, de curia & aerario, de nosodochio Fynae, de emporio, de nundinis, de incendiis variis in urbe; ista videntur foliis, quae post fol. 144. vacua fuerant relicta, esse illita. Sequuntur Latine miracula B. Virginis in ecclesia Argentinensi. fol. 144. Sequitur conflictus in Husbergen per ci-

---

15) Legitur ex alio MS. in editione SCHILTERI pag. 433. Caeterum cum Amurate hic Bajazethem confundit noster.

ves Argentinenses & episcopum Walterum scil. de Gerolzecke. fol. 163. Tum rursus vernacula, tumultus (*das Geschölle*) Zorniorum & Mülnhemiorum, & quae inde secuta. fol. 170 sq. Varia incendia graviora, fol. 173. iterum Latine confictus inter mechanicos (*handwerker*) & nobiles, inter Zornios & Mülnhemios, mutationes regiminis a 1332. & publicatus liber statutorum sive iurium municipalium civitatis. fol. 198.... Iudaeorum persecutio. fol. 211... de flagellatoribus fol. 212.... tertia amplificatio urbis. fol. 220.... Societas Anglicorum, *von den Engenlndern*, ubi profitetur auctor *se ad petitionem laicorum, propter novitatem temporis hoc affectantium legere, velle scribere primo in Theutonico, dein in Latino*, verum Latina relatio deest. Posthaec iterum delabitur noster ad narrationem Latinam gestorum Argentoratensium, ad exponenda scilicet intestina civitatum & nobilium bella, quibus implicita fuit Argentoratus nostra. fol. 223. Sequitur extra ordinem instrumentum Karoli M. quo statuit, ut nullus simoniace ingrediatur ecclesiam Argentinensem. fol. 226.

Post finem historiae Pontificum Romanorum impositum fol. 234. vernacula lingua fusa satis enarrantur confoederationes Suevicæ & Rhenanae & gravia bella nobiles inter & civitates inde ab anno 1368 usque ad pacem publicam, postea bellum Argentorati cum Episcopo Friderico de Blanckenheim <sup>16)</sup> a. 1388. ubi *von Cartenbriefen, von der Ohte, von den Blutzapfen* <sup>17)</sup>, & de fine eius belli. fol. 248. Adduntur tandem Latine copia litterae Regis Dagoberti magni super fundatione ecclesiae in Haselo. fol. 251.,. Epistola diffidationis Regis Angliae contra Regem Franciae missa ad Papam Clementem VI. fol. 253, & notata quaedam Chronologica ex Orofio, Godefrido Viterbiensi &c. fol. 255. Fol. 256. le-

16) Suam fecit hanc narrationem SCHILTER. in *additamentis* p. 754.

17) Vide de his *Glossarium SCHERZII germanicum*.

gitur : *Iste liber est Iacobi Twinger Canonici S. Thome Argent.* 18).

Haec ergo series est, hic nexus rerum a REGIOVILLANO in his *Chronicis Latinis* expositarum, in quibus mirum non est ordinem saepe desiderari, si quidem cogitemus, quod admodum verosimile est, potius apparatus esse ad historiam concinnandam, quam opus perfectum 19), & auctorem hoc opus iuvenem coepisse ac pedetentim per singula argumenta continuasse, successu temporis variis articulis auxisse & ditasse; unde fit, ut circa finem singulorum capitulorum scriptura aliquo modo variet. Est tamen a capite ad calcem fere idem character scripturae. Quumque tota compilatio in anno subsistat 1419, & REGIOVILLANUS sequenti obierit, non videmus quid impediat, quo minus credamus, totum volumen, pauculis exceptis, ipsius auctoris manu exaratum esse, qui, quum eam primum admoveret, clericus fuerit, quod in praefatione profiteretur, dein, capitulo Thomano adscriptus, hanc sibi dignitatem in fine tribuerit. Addita folio 234. ostendunt manum repetitis vicibus adlatam eandem sed fenilem. Neque profecto, si quis alius continuare opus laborasset, in anno isto 1419. praecise finiisset. Si tandem quaeras, cur non eius libri plura exempla prostant, respondemus, obstitisse opus vernaculum, quod auctor cito satis emisit in lucem, de quo nunc fandi dabitur occasio.

18) Videtis tabulam nostram aeri incisam N<sup>o</sup>. I.

19) Ita iudicat SCHILTERUS in praefat. §. XII.

## §. III.

*Iacobi Twingeri Chronicon Germanicum MS.*

Indoctis etiam & sacerdotio non additis primoribus urbis gratum facturus <sup>1)</sup> TWINGERUS ex opere Latino vernacula quoque lingua chronicon concinnare secum constituit, aptiori methodo & meliori ordine usus. Praestantissimum & ipsius itidem auctoris manu scriptum, adeoque antiquo idiomate expressum, exemplum est, quod ipse a. 1382. coeptum <sup>2)</sup> & per sequentes annos auctum, fabricae Ecclesiae Argentoratensis a. 1409. donatum <sup>3)</sup>, ad annum usque 1414. supplevit. Evasis is codex, adustus licet, & flammis, quibus ante hos centum annos pars curiae conflagavit <sup>4)</sup>, & nuperam nefandi discriminis insolentiam.

1) Ita ipse in praefamine refert se id fecisse *durch der leygen willen*, ubi MS. quidam codex addit: *minre Herren zu Strosburg.*

2) In indice sub littera I. sic: *Iocop Twinger ein priester zu Strosburg mahte dis buch MCCCLXXXII.* (respice tabulam nostram aeri incisam N. II.) quod non potest non de eo tempore intelligi, quo operi manum admovit.

3) Declarant hoc verba calci indicis subiecta. *Nota. Honorandus vir dominus Iacobus twinger presbyter Canonicus ecclesie S. Tome argent. donavit sano corpore in remedium anime sue fabrice ecclesie argent. hanc cronicam per ipsum de diversis materiis compositam & manu ejus propria scriptam, tali condicione quod eadem chronica hinc in antea perpetuis temporibus remaneat apud fabricam prescriptam & nequaquam ab eadem alienetur. Hec donacio fiebat ipsa die bti gregorii pape Anno domini MCCCC nono. . . .* Nec impedivit donatio haec inter vivos facta, quo minus sibi usum libri ad vitae finem reservare potuerit auctor, singulorum annorum gestis amplificandi.

4) Eo incendio varia periere scripta, alia flammarum aestum sensere modo, qualia duo exempla alia *Koenigshoviani chronici* manca, item carmina duo Germanica a SCHILTERO edita, STRICKERI alterum, alterum anonymum *de gestis Caroli M. & Rolandi*, quae

Scriptus in charta vulgari, bubali capite insignita, integer est & sat bene servatus, folii forma, plagularum 286.

In capita sex dispescitur, quorum

I. fata orbis recenset a creatione eius ad Alexandri M. mortem, & quae hanc sunt infecuta, ad finem Syriae Aegyptique regnorum. a fol. 1. ad fol. 34.

II. persequitur historiam Romae Romanorumque Imperatorum a Iulio Caesare ad Wenceslai depositionem usque ad a. 1400, a folio 34. ad fol. 94. Tum recentiori manu adiecta leguntur paucis gesta sequentium Imperatorum ad Maximilianum electum a. 1494. fol. 95. & 96.

III. res Romanorum Pontificum a Christo Salvatore ad Concilium Constantiense serie continua exponit a. 1414, a folio 106. ad folium 144, a quo aliena manu per quatuor sequentia filum deducitur ad Paullum II. a. 1460. inserta bulla iubilaei a Clemente VI. promulgata a. 1350.

IV. Episcoporum Argentinensium vitam & fata narrat ab Amando ad Fridericum de Blanckenheim & bellum ab eo cum Argenteratensibus gestum, donec episcopatu cederet a. 1393. a folio 148. ad fol. 175. addita sunt pauca ab aliis de sequentibus ad a. 1449 foliis 175. & 176.

V. fata & vicissitudines urbis & civitatis Argenteratensis enumerat a fol. 185. ad fol. 242, ubi urbis origo & gubernatio Alfatiae sub Ducibus, conversio ad Christi fidem a Materno episcopo facta, amplificationes urbis a C. 700. 1200. 1373, templa & monasteria, aerarium publicum a. 1352, curia, statuta confecta, incendia in his & incendium aerarii a. 1414, persecutio Iudaeorum, mutatio senatus, flagellantes, epidemiae, varii tumultus (*Geschölle*), mutationes aliae senatus usque ad a. 1393. & 1411, bella cum finitimis & alia, incurfio

---

& ipsa eadem forte, qua autographum REGIOVILLANI, sunt gavisa; supersunt enim ex confusa farragine protracta.

incurſio Anglorum a. 1365. fol. 231, ad annum uſque 1394. bellum Auſtriacorum cum Helvetiis fol. 233, ad annum uſque 1391. bellum inter civitates & nobiles geſtum in Suevia, ad Rhenum, in Bavaria. fol. 238. uſque ad pacem publicam (*Landfrieden*). expeditio Sigismundi Regis Hungariae in Turcas a. 1396, fol. 246. bella Anglorum cum Gallis. fol. 248. Sequitur aliena manu adpoſita relatio de Huſſitis folio verſo & poſt plura folia vacua folio 256. incurſio ſic dictorum Armeniacorum a. 1439. & 1444. Tum TWINGERI ruruſus calamo terraemotus. fol. 257. ventorum procellae ad ann. 1397. inundationes ad a. uſque 1404. additur ab alio exemplum anni 1422 — annonae viciffitudines ad a. uſque 1398. f. 262.

VI. capite demum accedit index, cuius articuli ipſa auctoris manu ducuntur ad a. 1414.

Codicis huius, quem littera *B* inſignimus, exempla ſunt longe rariffima. Cum eo plurimum convenit codex *C*, quem *Dunzenhemianum* SCHILTERUS vocat 5), qui ſcilicet olim ad CONRADUM DE DUNZENHEIM Conſulem ſpectavit, a quo ad ZEZNERUM ſenatorem tranſiit, hinc ad virum Ill. OBRECHTUM Praetorem Regium, ex cuius ſuppellectile emit UFFENBACHIUS Francofurtanus, quo mortuo ſibi eum paravit Exc. L. B. DE SENCKENBERG. Porro in SCHOEPELLINI codicibus MS. exſtat exemplum, nec ex ipſo antiquo iſto codice *B*, nec ex Dunzenhemiano, ſed ex alio codicis *B* exemplo, quod paſſim magnas lacunas habebat, tranſcriptum recentiori manu, & lingua ab antiqua ſua forma abludente. Id littera *D* deſignare lubet 6).

5) Fata huius codicis notavit partim SCHILTERUS in praefatione §. XXII. partim L. B. DE SENCKENBERG in litteris ad SCHOEPELLINUM datis Vindobonae a. 1752. ex quibus hic, quae ad rem faciebant, fronti editionis Schilterianae ſua manu praemiſit.

6) Codex hic *D* eſt folii forma, plagularum 641, ſat bene ſervatus. Non eſſe ex ipſo autographo deſcriptum, praeter linguae diverſitatem

Omnes hi codices chronici Germanici inter alia cum Latino conspirant in eo, quod sint caeteris prolixiores, quodque in praefamine auctor sese IACOBUM TWINGER DE KOENIGESHOVEN nominat; codices etiam *B* & *D*, nam de codice *C* tacente SCHILTERO non constat, aequae ac Latinus in indice operis confectionem ad annum referunt 1382. & indicis ipsius articuli procedunt ad annum usque 1414.

Praeter hoc *chronicon* KOENIGSHOVII *Germanicum* existat aliud paulo contractius<sup>7)</sup>, quod annum confectionis in indice proficitur 1386. <sup>8)</sup> neque in ipso contextu operis

---

multa probant. Pag. 134. in medio abruptitur filum narrationis gestorum sub Vespasiano his verbis: *und tödtet es, und kochet es* — tum post quaedam folia vacua relicta pergit pag. 141. in medio periodi his verbis: *und da der kunig hinweg kam, da sprochen des kunigs diener o Attila* — idem fit p. 524. ubi rursus in media pagina sermo definit & folia relinquuntur alba, donec pag. 529. continuatur scriptura in medio periodi. Quae hic desunt, complent paginas 23. in codice *B*. quae respondent editioni Schilterianae a pagina 320. usque ad paginam 344. Quid, quod pag. 173. in media periodo a gestis sub Carolo M. ad gesta Ludovici Bav. Imperatoris repente transiit codex *D* omiſſis foliis 20. codicis *B*. Praeterea codex *D* pag. 563. recenset paucis pugnas varias passim commissas annis 1386. 1439. 1451. &c. quarum nulla mentio in codice *B*. Caeterum seriba frequenter verba antiquiora, quae non intelligebat, transiit, spatium relinquens vacuum; cuius rei exempla haec sunt, omisit pag. 384. *sungilten*. pag. 391. *vschet* &c.

7) Hinc inde desiderari videntur etiam in hoc codice *E*, quae data opera suppressa credas, quale illud est de Henrico VII. Imper. Luxemburgico eucharistico, ut volunt, pane necato. fol. 93. & in edit. Schilt. pag. 125. ubi codex Latinus & Germanicus *B* rem fufenarrat, ut & alius codex tabularii publici. Codex *E* habet in margine a manu recentiori: *hie gebriſtet, wie ein brediger dem keyſer vergap in dem keliche*, quae textui ipsi intrusa leguntur in codice Silbermanniano, de quo mox nota 15), & in alio bibliothecae academicae. Diversi codices hunc locum diversimode exhibent.

8) *Iacob von Künigshoven mahte dis buch MCCCCLXXXVI.*



ultra hunc annum excurrit 9). Videtur scilicet auctor tum ex amplioribus chronicis suis, Latino & Germanico, in usum civium vernacula lingua brevioris seriem rerum per orbem & potissimum in patria gestarum confecisse & emisisse in vulgus, quae avide excepta mille manus morae impatientes occupavit, unde fit, ut & apud nos & apud externos complura huius editionis scriptae exempla reperiantur. Primarium illud est, quod in fabrica ecclesiae B. Virginis reconditur, ac littera *E* in sequentibus in hac diatribe dignoscetur. Membraneus liber folii forma plagiis constat 319. singulae paginae in duas columnas sunt scissae; caeterum integritate, scripturae crassioris elegantia<sup>10)</sup>, rubricationibus, fit venia verbo, sese commendat. Linguae rationem aetatis suae sic satis servat, raro antiquioribus recentiora verba substituens<sup>11)</sup>.

Distributio operis prorsus est eadem ac in laudato

9) Pag. 282. edit. Schilter. haec de praebendis Omnium Sanctorum: *Do men noch Gotz geburte zahlte MCCCXXVIII jor. do sifstete her Heinrich von Mühlheim ein burger ze Strosburg die Kirche ze allen Heiligen an der Steinfrosse mit gebuwe und mit fünf phründen und vollebrote fü ouch by sime lebende. Sither hant die von Mühlheim süben phründen dar gemachet das nu zwöf priefere do sint und die alle gute phründen hant.* Notavit autem Cels. KHUNIUS noster in margine exempli, quo est usus, Ven. LE LABOUREUR ex documentis sibi demonstrasse, ultimas praebendas demum a. 1419. esse fundatas; quapropter passus iste citatus, qui in codice *E* uno plane tractu & calamo eodem quo totum folium scriptus est, novo documento erit, codicem hunc recentiori tempore, non, ut creditum est, saeculo XIV exeunte esse exaratam. Eundem passum citatum & in codice *B* legi, mirum non erit, quippe, ut dictum, a REGIOVILLANO ad annum 1419. continuato.

10) Specimen dat tabula nostra aeri incisa N. III.

11) Pag. 14. l. 15. ed. Schilt. legitur: *dir und dime somen mill ich dis lant alles geben*, ubi codex *B* pro *alles* habet *germe*. pag. 21. l. 22. ubi ed. Schilt. habet *stamelte*, ibi in cod. *B* legitur *lurckete*.

codice *B*. Sex capitibus absolvitur, quae quid ferant, quid contineant, SCHILTERI, qui ipsum est pressio pede secutus, editio omnibus nota, omnibus trita, declarat.

Itaque sat erit notasse, propria huius codicis *E* scriptura caput I. in Cleopatra terminari. II. in Wenceslao electo a. 1376. III. in Urbano VI. ad a. 1384. IV. in electione Friderici de Blanckenheim a. 1375. V. res Alfaticas & viciniae describere ad a. usque 1386. indicis quoque articulos non infra hunc annum descendere; contra a recentiori manu plurima capita esse aucta, & II. quidem ad a. 1452, quo Fridericus III est Romae coronatus, deductum esse, III. ad Sixtum IV electum a. 1471. IV. ad electionem Episcopi Wilhelmi Com. de Honstein a. 1506. V. ad a. usque 1505.

Servatur, uti iam monuimus, chronicon hoc Germanicum *E* in fabrica summi templi, neque negare forsitan fas est, *κατ' ἐξοχὴν* id chronicon fabricae *B*. Virginis (*die Chronick uff unser Frauenhus*) deinceps esse salutatum; verum a GEILERO REGIOMONTANO sic appellari <sup>12)</sup>, quod tradit SCHILTERUS <sup>13)</sup>, dubium videri poterit perpendenti, ipsum KOENIGSHOVIVM eo loco, ubi inepta flagellantium carmina refert, simili prorsus modo ad chronicon fabricae illius provocare, ut proinde suspicio oriri hinc possit, aliud antiquius iam olim ibi fuisse custoditum. Verum enimvero, quum verba citata nec in chronico REGIOVIL-

<sup>12)</sup> In sermonibus suis sacris, quos IOH. PAULINUS a. 1517. sub nomine *micarum* (*Brösamlin*) edidit, fol. 12. leguntur haec: *Liß die Cronicka uff U. F. haufs, wie Piramis (Trebeta) von seiner mutter (Semiramis) ward angefochten, und wie er geen Trier foch. & in Narrenschiff fol. 75. Es ist kein freund sicher vor dem anderen, dann die mütter vor dem sun, sie seient den vol tüffelz, doch so weist man von Semiramis ze sagen, lyß die cronick, die uff unser frawen hus leit,*

<sup>13)</sup> In Vorrede §. XVIII.

LANI Latino *A*, nec in Germanici codicibus *B* & *D* legantur, quumque idem GEILERUS alibi apertius etiam rem proloquatur & utriusque idiomatis chronici eius mentionem faciat <sup>14)</sup>, pronum est inferre, codicem *E* post tempora REGIOVILLANI, ex codice quodam, qui a 1386. coeptus erat, & in quo carmina ipsa erant omissa, esse descriptum, & verba citata aequae ac carmina esse tum in codice *E* inserta, quum in custodiam fabricae iam traditus esset codex *B*. Quicquid sit, codex is *E* non modo innumeris *Koenigshoviani Chronici* exemplis, tum apud nos <sup>15)</sup>,

14) In *Predigten über die Evangelia* fol. 215. ubi de S. Florentio: *du findest die ding clarlich im buch, das vff unser Frawen hauß zu Straßburg ligt ze tütsch; man hat es auch in dem latin. Dise ding solten ir ewere kind leeren, daß sie wußten wie die Stat gebuoen wer. Es ligt da, vnd weiß niemans nit darumb, sie nemen nit etwas das es an das leicht kem, sie solten fünfzig guldin geben das man es wußt, also sein wir kegel.*

15) Servat tabularium publicum exempla quinque chronici laudati, folii forma, quorum tria recentiorum industria continuata sunt. In Academica supellectile nostra duo sunt sat antiqua, licet manca. Iis addidit ante aliquot annos alium Viri Prudentissimi IACOBI WENCKERI, magistratum tum defuncti, munificentia. Is codex faec. XV scriptus plurimum convenit cum codice ipso *B*; ad calcem ejus accedunt versiculi Germanici morales, quorum auctor CATONIS disticha supplere laborat. Sequuntur quatuor ultimis foliis gesta Hagenoae civitatis. SCHOEPLINUS possedit aliud, quod hodieque adest. Fuit olim IOHANNIS ARMBRÖSTER a. 1499. continuatum est usque ad a. 1531. item aliud, quod non nisi caput IV. & V. exhibet. Adest & sat antiquum tertium, quod olim ad SEB. MUEGIUM spectavit, quod, omisso capite primo, statim infit a secundo, ita ut ea prima pars dicatur Chronicae. Multa & in margine & ad calcem cuiusque capituli addidit MUEGIUS. Porro quartum recentiori manu scriptum integrum. Dein huic bibliothecae inelyti Senatus dono accessit exemplum ab optimo SILBERMANNO relictum, scriptura sat antiqua, ad Maximiliani tempora deductum. In bibliotheca quoque ordinis S. Iohannis Hierosolymitani Argentinenensis existat codex formae quartae, qui caput quintum chronici complectitur. Celebrabatur olim apud nos &

tum apud exteros <sup>16)</sup>, sed & aliis chronicis postea conscriptis <sup>17)</sup> fundamenti loco substratus est; unde, qua dignatione, quoque in pretio fuerit, abunde colligitur.

---

exemplum KÜNASTI Procuratoris & Iuris practici, memoratum SCHILTERO in praef. §. XXII. item *Hungersteinense, Gottesheniense, &c.* ex quibus in variis exemplis varietates notantur.

16) Ad exteros translati sunt codices plurimi. Sic in bibliotheca Regia Parisina servatur, qui abit ad a. 1399. v. LE LONG & FONTETTE *Catal. de la France* T. II. N. 17098. Alios Bernae & Turici repertiundos & rebus Helvetiorum plurimum auctos indicant HALLER in *Biblioth. der Schweizergeschichte* T. 4. p. 162. & SINNER in *Catalogo MS. Bibl. Bernensis* T. 2. p. 407. Dresdae bibliotheca Regia codicem habet, cui legendam Burgundicam subiungi testatur GOEZ in *Merckwürdigkeiten der Dresdner Bibliothek* t. 3. p. 561.

17) Ab aliis chronicorum architectis id REGIOVILLANI in usum ita tractum est, ut potissima quaeque inde exciperent, & gesta sequentium temporum adderent. Valet hoc & de Helveticis quibusdam modo citatis & de nostratibus Germanicis variis. Huc, praeter BERNH. HERZOGII *Chronicon*, spectant

a) in tabulario civitatis chronica tria anonyma Argentinensia III. WENCKERI dono illuc illata, quorum duo folii forma *praefamen* KOENIGSHOVII quidem in fronte gerunt, sed omisso ipsius nomine. Abeunt ad finem fere saeculi XVI. Alterum, spissum satis, uno volumine tres partes iungit, quarum I. folia 203. habet, II. 138. III. 290. scriptura eius est varia. Alterum, eleganti calamo scriptum, plagulas complet 225, & circa finem seriem consulum Argentinensium subiungit. Ibidem & tertium est formae quartae, quod ad annum usque 1625. excurrit, itidem a WENCKERO donatum.

b) *Chronicon* anonymum, sed *praefamine* REGIOVILLANI, absque mentione tamen nominis eius, insignitum, quo Academicam bibliothecam idem Vir munificus beavit, quod egregie scriptum & ornatum compilationem exhibet ad Maximilianum tempora continuatam.

c) In SCHOEFFLINI libraria peno, MATERNI BERLERI RUBEACENSIS *Chronicon Argent.* potissimum episcoporum c. a. 1510.

IOHANNIS SPACHII *Chronicon Argentinense*. Is c. a. 1519. & 1520. omisso capite primo KOENIGSHOVII, reliqua in suum usum vertit, retentis ut plurimum istius verbis, & auxit relatione rerum sua aetate gestarum.

BALTH. KOGMANNI, procuratoris fabricae S. Petri senioris, nati

§. IV.

*Chronici Germanici Koenigshoviani editio Schilteri,  
item alia antiquior.*

Nescio, quo fato factum, ut autographum chronicon Germanicum REGIOVILLANI in SCHILTERI notitiam non venerit, ni forsan post incendium, quo pars lateralis curiae, ut dictum, est exusta, cum aliis scriptis, quibuscum est flammis ereptum, confusum delituisse dicam. Isto igitur quum careret operis exemplo SCHILTERUS, quumque *Dunzenhemiani* codicis, quippe quem pro interpolato habebat, pretium non satis intelligeret, codicem membraneum fabricae domus B. Virginis, cuius augusta forma honore hoc ipsi digna videbatur, sequendum sibi ratus est. Secutus est autem verbo tenus ita, ut prorsus haec SCHILTERI editio, cui in praefamine de REGIOVILLANI vita & opere hoc varia praemisit, codicem istum membraneum repraesentet <sup>1)</sup>, ex quo hinc inde vitia quaedam typographica istius poterunt emendari <sup>2)</sup>. Contulit autem

a. 1519, quod *chronicon* 3 vol. folii forma scriptum annum prae se fert 1578.

SEB. MUEGII, filii & nepotis Caroli, *chronicon*, quod ipsum est Spachianum continuatum ad a. 1596. quo obiit MUEGIUS.

SEB. BUHELERI civis Argent. & Caesarei iudicis *chronicon*, 2 volumina complexum, a. 1588. attributum.

IOH. BALTH. RUCHENI *Argent. civis descriptio urbis patriae*, confecta a. 1588.

Excerpta ex OSEAE SCHADAEI *chronicorum Argentinesum col-lectaneis* c. a. 1606.

1) Notavit etiam in margine suo editor folia & singulorum foliorum columnas quatuor litteris a. b. c. d. Sic & inseruit ea, quae recentiores manus addidere.

2) Exempla. pag. 3. l. 6. legitur: *das er mit in denselben Schatz*

SCHILTERUS & chronicon Latinum nostri, & Germanici codicem *Dunzenhemianum*. Ex isto quidem multa loca excerptit, quibus rerum narratarum series aut confirmaretur aut augetur aut mutaretur. Eorum alia in margine adposuit, alia animadversionibus suis inseruit, quae de re supra dictum. Neque abfimili modo usus est *Dunzenhemiano* codice, cuius diversa a membraneo loca partim margini suo adlevit, partim in supplementa coniecit, quae inde a pagina 409. folia 14. occupant. In iis, praeter nomen in praefamine integrum IACOB TWINGER VON KUNIGESHOVEN, notanda praepremis fabella de origine ludi scacchorum, p. 38; in his potissimum relatio de Ducibus, quibus olim Alfatia cum Argentorato paruit, p. 427. Caeterum extant exempla editionis huius *Schilterianae*, quibus in margine adscripta sunt variorum virorum doctorum notamina. In his eminent ea, quae Cel. KUHNIUS 3), historiam olim & eloquentiam apud nos cum laude professus, ex iterata collatione cum *Dunzenhemiano* & aliis nonnullis codicibus, itemque ad declarandam historiam, adscripsit.

Neque vero, quod sibi persuadebat, SCHILTERUS primus chronicon TWINGERI nostri opus emisit in lucem. Exstat quippe in *Brühliana* librorum supellestite, quae Dreidae fervatur, pars eius chronici, typis circa a. 1475. ut videtur, impressa. Detexit eam ante hos viginti & quod excurrit

---

*möchte getriben*, ubi codex *E.* recte habet *geteilen*. — p. 5. l. 14. MS. *E.* habet: *do er us was gestoßen*. — pag. 16. l. 28. legit: *also ginc Esau enweg* — &c. pag. 25. l. 4. habet: *durechte*, non *durehete*. pag. 29. habet: *was die Stat Constantinopel gemacht in kriecken* &c.

- 3) Autographas adnotatiunculas KHUNII, editioni, quam possidebat, adlitas, amicitiae Vener. affinis G. FRID. MÜHLBERGERI, Landavienfis pastoris primarii emeriti, acceptas refero. O.

excurrit annos vir Celeb. & nunc in hac alma nostra LL. Graecae & Orientalium Professor IOH. SCHWEIGHAEUSER, qui tum per litteras rem nemini ante notam cum immortalis SCHOEPPFLINO communicavit. Facile hic, pro ea qua florebat apud Ill. possessorem gratia, impetravit, ut propius liceret opus tueri. Datum itaque a SCHOEPPFLINO, cui tum erat a manu, librum lustrandi negotium viro Confultiff. CHRIST. WILH. KOCHIO I. U. nunc apud nos Doct. ac Professori, qui faciem operis & argumentum adcurate descripsit. Conspirant quoque prorsus viri doctissimi notata cum iis, quae nuper demum vir inclytus & de vernaculae linguae studio praeclare meritus IOH. CHR. ADELUNGUS, Dresdensis bibliothecae custos, de hoc ipso opere retulit<sup>4</sup>).

Igitur chronicon id Germanicum bibliothecae *Brühlianae* nullum vel loci vel anni indicium, nec paginarum notam, nec initiales habet litteras, puncta rariora, frequentia commata occurrunt. Folii minoris formam offert & plagulis constat 181. chartaceis idoneis, typus atro colore nitet.

Continet autem is codex tria capita priora *chronici Koenigshoviani*, quorum I. a mundo condito rerum seriem pandit ad tempora Iulii Caesaris eodem ordine, quo in editione SCHILTERI, nisi quod in isto Dresdensis bibliothecae post sectionem de conditis Trevisis (*wie Trier ward gebawen*) subiicitur statim historia Abrahami & Patriarcharum sequentium, omissis §§. 21. & 22. *Schilteriani* exempli, quorum pars quaedam Abrahami historiae est intexta. Historia quoque Patriarcharum & veteris testamenti fusius passim recensetur, quam in SCHILTERI editione; cuiusmodi diversitates passim & in

<sup>4</sup>) Litteris ad me haud ita pridem missis, quibus ad propositas quaestiones benevole respondit. O.

sequentibus occurrunt, ita ut hactenus magis forsitan cum codice B, quam cum SCHILTERI editione, editio ista *Brühliana* conveniat, quod ulteriori disquisitioni aliorum permittimus. Ista ab ADELUNGIO observata addimus. Statim ab initio, ubi in editione *Schilteriana* per errorem legitur pag. 3. *das er mir in denselben Schatz möhte getriben* — altera editio rectius habet cum MS. nostris *geteilen*; contra, ubi in ista est inter fluvios Paradisi *Physon*, in hac est *Syon*.

II. caput a fol. 72. dimidio ad folium pergit 144. exhibet res gestas Imperatorum Romanorum eodem tenore, quo in editione nostrate; & desinit in electione Ruperti, cui adiecta expeditio Sigismundi Regis in Turcas (*in die heidenschaft*) a. 1396.

III. caput 36 folia cum dimidio complet, & morte Innocentii VII. terminatur, qui hic falso dicitur obiisse a. 1412. quum recte in altera editione mors eius referatur ad a. 1406. Non iniucundum fore speramus lectoribus nostris, si & litterarum formam 5), quibus excusus est is liber, & initium aequae ac finem operis offeramus, ut cum editione SCHILTERI a quovis conferri queat. Folio I. *Hie vahet an die Cronica wie Got geboren ward. Got in seiner ewigkeit, nach seiner grossen miltigkeit, der wolt im selber nit behalten allein den schatz der ewigen wunne vnd fröd . . . . in fine fol. 131. vnd also het er mut vil dinges außzerichten vnd schaffen, da für kam in der tod vnd starb an dem samstag nach aller hailigen tag nach Gottes gepurt XIII hundert vnd zwelff jare.*

Allata specimina docent, in editione *Brühlianae* Bibliothecae deesse id praefamen, quo TWINGERUS sese auctorem chronici fatetur; linguam quoque illius ab antiqua huius forma & archaismis differre. Ex dictis porro elucet, istam nec ad Episcoporum Argentinensium gesta, nec

5) Respice tabulam nostram aeri incisam N. IV.



ad alias urbis nostrae vicissitudines enumerandas descendere. Moverunt haec eruditissimum ADELUNGIIUM, ut dubius haereret, an non & KOENIGSHOVIVS ipse & editor iste saeculi XV. ex communi fonte, chronico quodam Germanico, sua hauserint, quum notum satis sit atque per-vulgatum, medio aevo chronicorum scriptores fere semper ab ovo incepisse & antiquiora simili fere modo tradi-disse. Obstare huic doctissimi viri coniecturae poterit, quod KOENIGSHOVIVS auctores suos indicet, ex quibus sua sit mutuatus; ut ergo pronum videri possit existimare, editorem saeculi XV. capita ista tria *Twingeriani chronici* in suum usum vertisse, & ab Argentoratensibus rebus ma-num data opera abstinuisset. Rem, ut putamus, conficiet testimonium Rev. PLACIDI BRAUNII, Augustanae ad SS. Udalricum & Afram bibliothecae praefecti, qui nuperime primus notitiam editionis, de qua agitur, in publi-cam lucem produxit <sup>6)</sup>. Exemplum enim, quo is est usus, continuatum ad annum usque 1477. a CONRADO SCHREYBER Oettingensi, praefationem habet, ab hoc scriba & continuatore adiectam, qua disertis verbis IACOBUM DE KOENIGSHOVEN auctorem perhibet. Idem BRAUNIUS & lo-cum & tempus editionis laudatae, utrumque haecenus du-bium, sat probabili, ut videtur, ratione fixit. Ostendit quippe typum esse eundem, quo BAEMLERI opera a. 1474. Augustae Vind. impressum sit Regimen infantum, *das Re-giment iunger Kinder*. Quadrat cum hac epocha annus mo-do memoratus, quo ultimam manum continuationi suae se admovisse testatur CONRADUS SCHREYBER.

Caeterum hanc editionem plane ignorasse videtur GEILE-RUS CAESAREMONTANUS, qui, quod supra vidimus, gra-

6) In *Notitia de libris ab artis typographicae inventione usque ad a. 1479. impressis, in bibl. monasterii ad SS. Udalricum & Afram Augustae extantibus*. 4. Aug. Vind. 1788.

viter increpat saeculum suum, truncos esse stipitesque profellus, qui latere opus insigne patiantur. Imo vero vel nostris diebus bibliographi celeberrimi ZAPFIIUS 7), DENISIUS 8), PANZERUS 9), alii, nullam prorsus eius rei notitiam habuere. Primi ne nos eius chronici foremus nuntii, impedivit Rev. BRAUNIUS, qui nos praevenit.

## §. V.

*Twingeriani Chronici versio Bohemica.*

Exstat &, teste DOBROWSKIO 1), *Chronicon Bohemicum dictum Martynianum*, cuius auctorem sese venditat BENESS DE HORZOWITZ, quodque folii forma typis impressum est Pragae a. 1488. folia habet 101. Martyniani nomen fortium est forsan eo, quod in recensenda serie Pontificum Romanorum sequatur maxime MARTINUM POLONUM. Praefatio tota est KOENIGSHOVII, etsi nomen huius supprimit BENESSIUS, & in calce eius nomen suum subscribat. Maximam quoque chronici ipsius partem ex REGIOVILLANO esse conversam, post WINORZIUM observavit Doctiss. DOBROWSKY 2), qui tamen ultima operis folia aeque a MARTINO POLONO ac a REGIOVILLANO frequenter recedere testatur. Itaque in Bohemia idem accidisse nostro videtur, quod apud nos saepenumero factum animadvertimus supra, ut

7) In *Annalibus typographiae Augustanae auct. F. A. Veith continuatis*. 4. Aug. Vind. 1778.

8) In *Supplemento annal. typograph. Maittairii*. 4. Viennae 1789.

9) In *Annalen der ältern deutschen Litteratur*. 4. Nürnberg. 1788.

1) In *Böhm. Litteratur* 1. Stück. cf. & DENIS l. c. P. I. p. 243.

2) Vide eius *Litter. Magazin von Böhmen und Mähren*. Prag. 1786. 2 St. S. 146. seq. Caeterum hac de re me commode monuit Vir doctissimus PETERSEN, Ser. Duci Würtembergico a bibliotheca, quo nomine ipsi me plurimum obstrictum profiteor. O.

aliis chronicorum fabris vario modo inferviret<sup>3)</sup>. Caeterum BENESSIUS opus suum confecit circa a. 1399. Sat male in interpretando nostro versatus esse dicitur.

## §. VI.

*Iacobi Twingeri Vocabularium.*

Servatur in bibliotheca S. Iohannis Hierosol. Argent. <sup>1)</sup> TWINGERI *vocabularius liber* MS. typis nunquam impressus; ast in SCHERZII *Glossario* sexcentis allegatur hac sigla TW. Praefatio haec est: *Quoniam ignorantes virtutes vocabulorum de facili decipiuntur, ut scribit philosophus primo eleanorum, idcirco ego IACOBUS TWINGER presbyter Argentinensis, licet insufficiens ad communem parvulorum utilitatem diversis libris gramaticalibus scilicet CATHOLICON<sup>2)</sup>, HUGITIONE<sup>3)</sup>, BRITONE<sup>4)</sup>, & speculo gramaticae ac alijs libris gramaticalibus extorssi & collegi hunc LIBRUM VOCABULARIUM DE SIGNIFICATIONE NOMINUM nuncupatum, in quo simplices & vulgares significationes diversorum nominum pueriliter posui secundum laycalem seu maternam linguam terre & patrie nostrae seu Argentine obmittendo eorundem nominum derivationes & declinatio-*

3) Respice §. III. n. 15.

1) Varia olim eius exempla apud nos reperiebantur. In fronte eius, quo usus I. CASP. BITSCHIUS IC. legebantur haec: *Dn. Iac. Twinger Canonice Ecclesie S. Thome Civit. Argent. In fine subscriptus est An. 1419.*

2) Intelligit IOHANNIS DE BALBIS vulgo DE IANUA sive GENUA summam, quae vocatur *catholicon*, opus grammaticum absolutum a. 1286. & primo editum a. 1460.

3) UGUTIO, Pisanus, Ictus Decretorum glossator, *librum derivationum* edidit, quo *Papiae*, qui saec. XI. medio floruit, *Elementarium* auxit. obiit a. 1212.

4) WILHELMI BRITONIS *vocabularius* exstat MS. *synonyma* eius edita sunt 4. Paris. 1504. Reliquit & summam sive opusc. *difficilium vocabulorum* Bibliae e glossis Sanctorum. obiit a 1356.

nes causa brevitatis. Insuper ad meliorem intellectum & memoriam firmiorem vocabulorum in hoc libro positorum applicavi eis plures versus notabiles de veteri & novo grecismo<sup>5)</sup>, nec non de synonymis & aequivocis ac aliunde collectis. Et subicito hunc librum correctioni sapientum, rogans eas, ut suppleant defectus, abradant decessus & emendent errores. . . . Compilatus est autem presens liber anno domini MCCCC<sup>o</sup> VIII. Sed inceptus hic presens liber per me EBERHARDUM plebanum in Danck.<sup>6)</sup> Argent. dioc. sexta feria proxima post festum ascensionis domini, quae fuit tertia dies proxima ante festum S. Urbani pape sub anno Dni M<sup>o</sup>CCCC<sup>o</sup>XXII<sup>o</sup>.

5) In his forsan numerandus EBERHARDI BETHUNIENSIS Graecismus ex saec. XIII. ineunte.

6) Videtur intelligendus vicus Dankels f. Dankratzheim.

ELENCHUS CODICUM MS. CHRONICI KÖENIGSHOVIANI.

- A. Chronicon Latinum autographum TWINGERI.  
extat in tabulario civitatis. v. pag. 6.  
Specimina eius scripturae dat tabula exadversum posita N. I.  
1. ex folio xlvij. ubi auctor vitae suae momenta exponit, annum mortis, ut par erat, aliis adiciendum reliquit.  
2. ex folio ultimo. v. pag. 14.
- B. Chronicon Germanicum autographum TWINGERI.  
extat in tabulario civitatis. v. p. 15.  
Specimen desumptum ex eius indice sistitur N. II.
- C. Chronici Germanici codex Dunzenhemianus vel Zeznerianus.  
extat hodie apud L. B. de Senckenberg, prioris possessoris filium,  
Ser. Hassiae Landgravio a consiliis. Codex, quod nuper ex Viri Ill. litteris intellexi, folii formam habet & plagulas numerat 365.  
Eo KHUNIS olim bene usus, quod marginalia eius docent.  
vid. pag. 24. O.
- D. Chronici Germanici codex Bibliothecae Schoepfiani, manus, sed multum conveniens cum codice B. cf. pag. 17.
- E. Chronici Germanici codex membraneus.  
extat in domo fabricae B. Virginis.  
Specimen exhibet N. III. ex fol. 1.

Editionis antiquae Augustanae specimen repraesentatur N. IV.

Jacobus Zwinger ppulator Gm̄g libri  
in p̄bim Anno d̄m MCCCLXXII. fit

Iste liber est Jacobi Zwinger Cantuari

Jacop Zwinger ein p̄nest zu Str

riben. Her vmb wil ich Jo  
cob von künigeshouen ein  
priester zu **S**trosburg du

Hie vahet  
wie got geb

Ot in seiner



## I.

Jacobus Zwinger apudator huius libri natus fuit Anno dñi Mccc xlvj. Ordinat<sup>r</sup>  
 in p<sup>b</sup>im Anno dñi Mccc lxxxij. fuit Can<sup>o</sup>ica<sup>s</sup>i thome Anno Mcccxcv. 4. Anno ..

Itte liber est Jacobi Zwinger Canonic<sup>i</sup> thome Argent

## II.

Jacop Zwinger ein p<sup>r</sup>est zu S<sup>t</sup>rosburg machte dis buch Mccc lxxxij.

## III.

riben. Her vmb wil ich Jo- gottes gebürte geschehen  
 tob von künigeshouen ein sint habe gesetzt so vil ior  
 priester. Zu S<sup>t</sup>rosburg dur also denne was von adam

## IV.

Hie vahet an die Cronica  
 wie got geboren ward



Oc in seiner ewigkeit nach seiner grossen











№ 1577.  
8'

ULB Halle  
006 609 21X

3




UD 18

n.c







Q. D. B. V.

J M TWINGERUM  
IOVILLANUM

VULGO

DE KOENIGSHOVEN

PRAESIDE

IACOBO OBERLINO

TAPHYS. PROF. P. O. CAP. THOM. CAN.

UDITORUM EXAMINI SUBIICIT

AUCTOR

DERICUS HOLLAENDER

RGENTORATENSIS

PTEMBRIS A. R. S. MDCCLXXXIX.

H. L. Q. C.

RGENTORATI,

HENRICI HEITZ, Univerſit. Typogr.

*Heitz*

